

Valahfridus (Wilfried Stroh):  
De primis hominum domibus

Fuisse quondam tempus, quo homines sine domibus in terris degerent, omnes auctores graves, etsi de origine hominum diversas opiniones proferunt, paene una voce consentiunt.

Nam Moses sive is qui librum *Genesis* scripsit Adam et Evam, quos Deus opifex rerum primos formavit, sine vestibus nudos in paradiso fuisse dicit (3,7). Cuius causa quidem dicitur quod pudore caruerint (qui post fatale illud peccatum venit, 3,10), sed tamen certum videtur eos sine vestimentis vivere non potuisse, nisi temperies caeli tum in illo *paradiso voluptatis* (2,8) mire aequabilis fuisset, cuius gratia et a frigore et a calore tuti essent. Cur igitur domos peterent aut sibi construerent? Immo ut cetera animalia, puto, sub arboribus aut in ipsis pratis iacentes dormiebant, cum sole obdormiscentes, cum sole expergiscentes. Sed postquam e paradiso propter inoboedientiam expulsi sunt Deusque ipse quasi sartor eis *tunicas pellicias*<sup>i</sup> concinnavit (3,21), tum demum veri simile est iniquitate hiemis aestatisque compulsos etiam domos aliquas sibi comparavisse.

Sed haec in Sacra scriptura obscurius, non apertissime dicuntur. Nec tamen plane dissimilia sunt quae a poetis Graecis Romanisque traduntur. Ac pauca quidem habet Hesiodus, qui in *Operibus et Diebus* historiam hominum in quinque aetates<sup>ii</sup> distribuit (109-201), quarum primam eamque optimam appellat auream: Tum homines propter egregiam virtutem quasi in aliquo paradiso vixisse narrat; domos autem neque ei aetati neque argenteae, quae aureae successit, attribuit, sed tertiae multo peiori, quae, cum ipsa aenea esset, aeneas etiam domos habuerit (150).

Eadem autem multo dilucidius Ovidius in primo *Metamorphoseon* libro explicat. Is enim de aurea aetate beatissimorum hominum id dicit quod nos iam de paradiso illo biblico suspicati sumus (107):

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris  
mulcebant zephyri natos sine semine flores.

Nulla igitur in hac veris aeternitate domorum fit mentio. Quibus tum denique opus erat, cum ... (116)

Iuppiter antiqui contraxit tempora veris  
perque hiemes aestusque et inaequalis<sup>iii</sup> autumnos  
et breve ver spatii exegit quattuor annum. [...]  
Tum primum subiere domos ...

Quas domos, quaesiveris? Unde paratas? Ovidius haec quoque docet:

... domus antra fuerunt  
et densi frutices<sup>iv</sup> et vinctae cortice virgae.

Quam bene verbis paucissimis poeta illustrat, quomodo homines prima habitacula sibi invenerint! Ac primum quidem antra sive speluncas ut domos natura ipsa paratas subibant; tunc, quia antrorum numerus hominum copiae vix sufficiebat, idem tegimen a fruticibus spissioribus quaerebant; denique, id quod iam maioris artis erat, virgas seu ramos corticis vinculis sic inter se ligabant, ut casae alicuius figuram exhiberent. Atque hoc quidem fortasse ingeniosius poeta lusit. De antris autem eum verissime dixisse nemo negabit, qui magnificas picturas illas a troglodytis i.e. antrorum habitatoribus in speluncis factas cum admiratione vidit. Neque illas ex omni parte incommodas fuisse credideris. Nam Euripides quoque tragoedus et Demosthenes orator ad opera meditanda sua in antra se recepisse traduntur.

Nec tamen omnes poetae aut philosophi illam fabulam sive historiam de variorum metallorum aetatibus traditam secuti sunt. Immo plures aurea aetate illa negata primos homines feroces et immanes bestiarum more vitam degisse crediderunt, donec aut sua sponte aut deorum ope ad

aliquem cultum et mansuetudinem<sup>v</sup> pervenissent. Atque Theseus in *Supplicibus* Euripidis nescire videtur, quis deus homines docuerit (207) *hiemis tegimenta* sibi quaerere. Auctor autem hymni *In Vulcanum*, qui Homero adscribitur, illum deum vult (hymn. 20,2)<sup>vi</sup>

... artes docuisse superbas  
mortales omnes in terris, qui prius aevum  
degebant caecis<sup>vii</sup> veluti fera bestia in antris [...],  
nunc per Vulcanum habitant aedesque domosque.

Vulcanus enim etiam dis immortalibus in Olympo sua splendida palatia fecit. (Legite Ovidium initio libri II *Metamorphoseon*!). Aeschylus autem in *Prometheo vincto* eum ipsum Titanem *philanthropum*, ut ait, i.e. hominum amicum omnes artes una cum ignis usu docuisse eos facit. Qui antea (448):<sup>viii</sup>

... similes somniis  
vitam trahebant temere<sup>ix</sup>, nec tegulis domos  
construere, ut essent soli amicae,<sup>x</sup> noverant  
neque opera ligni, sed, velut mersae cavis<sup>xi</sup>  
formicae, in antris degere obscurissimis  
coacti erant [...].

Prometheus igitur artem aedificandi hominibus tradidit eosque antrorum tenebris liberavit, magni sane beneficii auctor et quem Iuppiter iniuria ad saxum Caucaseum alligarit aquilaeque rostro exposuerit.

Item Protagoras in Platonis dialogo, qui ab ipso nomen habet, inter plurimas artes etiam hanc scientiam homines a Prometheo accepisse dicit (322 A) – quam tamen *fabulam* non verissimam *historiam* appellat (320 C). Posterius autem ex hac fabula Prometheum deosque omnino submoverunt hominesque ipsos utilitate duce domos sibi invenisse crediderunt. Sic Diodorus historicus (1,8); sic etiam Lucretius Epicureus, qui in quinto *De rerum natura* libro homines primos ex ipsa terra ortos duriores ad vim frigoris et caloris fuisse docet. Ei tamen (955) ...

... nemora atque cavos montes silvasque colebant  
et frutices inter condebant squalida membra  
verbera ventorum vitare imbresque coacti.

Unde autem postea domos facere didicerint, Lucretius non aperit, sed is una cum domibus vestimentis igni etiam coniugia certa – nam antea Venus<sup>xii</sup> fuerat promiscua – et humanitatis prima vestigia extitisse docet (1011):

Inde casus postquam ac pellis ignemque pararunt  
et mulier coniuncta viro concessit in unum [...],  
tum genus humanum primum mollescere coepit.  
Ignis enim curavit ut alsia<sup>xiii</sup> corpora frigus  
non ita iam possent caeli sub tegmine ferre,  
et Venus imminuit vires puerique parentum  
blanditiis facile ingenium fregere superbum<sup>xiv</sup>.

Ecce familiam iam paene ex omni parte Romanam! Adest domus, adest ignis (quem Vesta postea servatura est), adsunt pater et mater familias, non iam nudi sed pellibus vestiti, una cum liberis suavissimis.

Longe autem diligentius Vitruvius in secundo *De architectura* libro (2 praef. 5) de *aedificiorum rationibus, unde initia ceperint et uti creverint* explicat. Qui primam originem in inventionem ignis fuisse existimat. Atqui eum Hesiodus Aeschylus aliique a Prometheo hominibus quasi omnium artium doctorem traditum docuerant. Vitruvius contra casu quodam ignem hominibus innotuisse existimat, ad quem servandum cum homines illi agrestes convenerint et balbutiendo inter se loqui conati sint, tum ...

... coeperunt in eo coetu alii de fronde facere tecta, alii speluncas fodere sub montibus, nonnulli hirundinum nidos et aedificationes earum imitantes de luto et virgulis facere loca, quae subirent.

Iam tria quasi genera habitaculorum tenemus. Hirundines autem propterea dicere videtur quoniam eae nidos suos non solum e congestis particulis struunt, sed etiam visco quodam conglutinant. Neque his simplicissimis domibus Vitruvius contentus est, sed iam aliquod quasi certamen architectorum ad meliora excogitanda instituit:

Cum essent autem homines imitabili docilique natura, cottidie inventionibus gloriantes alius alii ostendebant aedificiorum effectus [...]. Primumque furcis erectis et virgulis interpositis luto parietes texerunt. Alii luteas glaebas arefacientes struebant parietes, materia eos iugumentantes<sup>xv</sup>, vitandoque imbres et aestus<sup>xvi</sup> tegebant harundinibus et fronde. Posteaquam per hibernas tempestates tecta non potuerunt imbres sustinere, fastigia facientes, luto inducto proclinatis tectis, stillicidia deducebant<sup>xvii</sup>.

Ecce denuo tres novae domorum figurae. Vellem autem Vitruvius ad eas illustrandas etiam picturas adhibuisset. In prima enim haeremus: Unde illi parietes, de quibus dicit: *luto parietes texerunt*. Nam si tegi poterant, iam facti esse debebant. Nisi forte Vitruvius scripsit: *texuerunt* (a texendo non a tegendo),<sup>xviii</sup> i.e. e luto parietes struxerunt. Sed viderint<sup>xix</sup> nostri architecti! Vitruvius certe talia non hariolatus est<sup>xx</sup>, sed exemplis aliarum nationum ut Gallorum et Hispanorum, qui simili ratione suo tempore aedificare solerent, quae dicit comprobavit.

Quot scriptores evolvimus! Qui tamen omnes, ut par videtur, domorum inventores, sive eos deos sive homines putabant, laudibus iustis celebraverunt. Unus tamen dissensit Diogenes philosophus Cynicus. Qui satis commode vixisse illos primos homines sine vestibus ac domibus affirmavit (ap. Dio Chrys. or. 6): Sic enim natura ac Iovis arbitrio institutum esse, ut quodvis animal in locis ubi natum esset ibi facile habitare et vitam sustinere posset. Quod non male exemplis illustravit:

Sunt enim ranae et aliae bestiae multo magis tenerae quam homines capillisque paucioribus indutae, quarum tamen nonnullae non solum aerem sustinent, sed etiam hieme in aqua frigidissima degunt. [...] Homines autem sapientia sua non ad virtutem aut iustitiam utuntur, sed ad voluptatem. Et quia ex omnibus iucundum sibi quaerunt, molestius et laboriosius vivunt.

Idque ille domorum contemptor, virtutis ranarumque amator, non verbis tantum, sed etiam factis executus est: *Se complicuit in dolio et in eo habitavit* (Sen. epist. 90,14).

<sup>i</sup> e pellibus bestiarum factas, quasi „Lederhosen“

<sup>ii</sup> Nomine *aetatum* magis saecula („Generationen“) hominum quam tempora notat.

<sup>iii</sup> Autumno caelum magis variabile est – quod etiam versu spondiaco indicatur.

<sup>iv</sup> virgulta sive „Gebüsch“

<sup>v</sup> „Zivilisation“, quae etiam *humanitas* dicitur

<sup>vi</sup> Graeca omnia a me (si necesse erat, metrica) Latine translata sunt.

<sup>vii</sup> *Caeca* loca a poetis dicuntur tenebricosa.

<sup>viii</sup> Nota trimetros iambicos.

<sup>ix</sup> sine certo consilio

<sup>x</sup> ut solis luci expositae eam admitterent

<sup>xi</sup> *cavis*, i.e. cavernis sive foraminibus naturalibus

<sup>xii</sup> Concubitus feminae virique a Romanis non voce *sexus*, sed *Veneris* notatur.

<sup>xiii</sup> *alsia* ab algendo: i.e. frigore correpta

<sup>xiv</sup> Animos feroces mitigaverunt.

<sup>xv</sup> iungentes

<sup>xvi</sup> ad vitandos imbres etc.

<sup>xvii</sup> Etiam tecta nostra solent esse proclivia, ut pluvia facile delabatur (quod Romani stillicidium uocant); *tectis* videtur esse dativus, coniungendus cum *inducto*.

<sup>xviii</sup> Cf. ex.gr. Ovidium in epist. 16,112 *textur et costis panda carina suis*.

<sup>xix</sup> *Viderit* aut *viderint* dicimus, cum quaestionem aliquam ipsi diiudicare nolumus, aliis relinquimus.

<sup>xx</sup> *hariolari* i.e. vana fingere